









1695.

14. Ringlerus, Dr. Philippus : Casus practici III.
Accort. ejusdem lectis publica ad Illustrationem
l. C. de ex her. et. transmitt. res.
15. Schubartus, Georgius : De transmissione hereditatis
ex l. un. C. de his qui ante epul. tab.
16. Stevoglius, Dr. Adrianus : De carie cranii.
17. Stevoglius, Dr. Hadr. : Programma de factis Curuz-
gine, lectionibus publicis privatisque praemissum.
18. Wedelius, Georgius Wolffgangus : Propempticon
de decimatione otorum (Disputationis polemicae Georgii
Christiani Wolff praemissum).
19. Stevoglius, Dr. Philippus : De exceptione legitima-
tionis ad causam.
- 20^{a & b} Stevoglius, Dr. Philippus : De expensis de que casus
exceptione. 2 sumpt. 1695 & 1784

1695.

21. Wedelius, Georgius Wolffgangus, Decanus Fro. med.: Pro-
prium Licentiae: de febris magna (Disputationis solenni
Iohannis Wilhelmi Rumpelii praenotissimum)
22. Wedelius, Georgus Wolffgangus: De thermis. 319
23. Wedelius, Georgius Wolffgangus: De acidulis.
24. Wedelius, Georgus Wolffgangus: De fundamentis Lecturae status
vulnerum. 32.
25. Wedelius, Georgus Wolffgangus: De sale ammoniaco.
26. Wildvoogelius, Christianus: Theses controversae. 33.
- 27^a. Wildvoogelius, ^{Christianus} Georgus: De imputatione culpae
= ^{III} propriae. 2 Bimpl. 1695: 1740, 1756.
28. Wildvoogelius, Christianus, Collegii juris Dei... Decanus.
Programma: de statuto in choro florentini auspicali
Theodori Burgles praenotissimum.) 34
29. Wildvoogelius, Christianus: Bonum publicum, an et
quomodo princeps bonis bonis privatorum praeferre debeat?

1695

30. Wildvogelius, Christianus: De dyces militari
sive Heerschilde. ad l. 1. Landrecht. art. 3. et
Lehnrecht. cap. 2. Programma inaug. (lectioni auspicali
Joh. Neudis Gihleis praemissum).
- 31^a Wildvogelius, Christianus: De jure salutationis.
1 Inempt. 1695: 1741
32. Wildvogelius, Christianus: De factis judicium. Pro-
gramma et novell. 8 pr. et. cap. 10 (lectioni auspicali
Christophori Lazari praemissum).
33. Wildvogelius, Christianus, Collegii Juridici . . . Decanus:
De voluptatis artifice ad l. 785 de oper. libert. Pro-
gramma . . . (lectioni cursoriae Joh. Christophori
Neckbalhi praemissum).
34. Wildvogelius, Christianus, Collegii Juridici . . . Decanus:
De puncti solutio ad l. 4 C. de adoe. divers. judic.
Programma inaug. (lectioni auspicali . . . Maurici
Ludovici Sorge praemissum).



1695.

35. Willdoogeluis, Christianus: De septima propinquorum
manni in cap. 5 et cap. 6. d. p. et malefic. Program
ma inaug. (lectioni auspiciali Henrici Teopffer proe
missionum).

1695, 24 1158.

12

D. D. R. P.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

FUNDAMENTIS LE-
THALITATIS VULNE-
RUM,

Auxiliante Supremo Numine,

Iussu atque Autoritate Illustris ac Gratio-

sæ FACULTATIS MEDICÆ in Inclÿta SALANA,

PRÆSIDE

GEORGIO WOLFFGANGO

WEDELIO,

Medicinæ Doctore, Comite Palatino Cæsareo, Theoretices

Professore Ordinario, Consiliario & Archiatro Ducali

Saxonico,

*Præceptore, Hospite & Promotore Studiorum omni obser-
uantia cultu deuenerando,*

PRO LICENTIA,

Summos in arte Medica honores, & priuilegia Doctoralia rite & MORE

MAIORVM solenniter capeffendi,

Philiatrorum disquisitioni proposita

PHILIPPO ADAMO WOLFFGANGO SUBBER/

Rotenburgo-Tuberano,

IN AUDITORIO MAIORI,

Horis ante & post meridiem,

Ad D. Februar. MDCXCV.

I E N E,

Recusa Listeris KREBSIANIS. M DCC IX.

1128

DISSERTATIO INA. GYALIS MEDICA

FUNDAMENTIS LE
THALITATIS VULNE

DEO, PATRIÆ, PROPINQVIS.

Professore Ordinario, Condiano & Archiatro Ducali
Saxonicæ
P. H. Hoffmanni & P. H. Hoffmanni
PRO LICENTIA
summe in arte medica honoris & privilegii Doctoratus & MORE
M. H. Hoffmanni & P. H. Hoffmanni
PHILIPPO ADAMO WOLFFENGO GIBBERNA
Kochbergens-Tubingens
Hortensie & Hoffmanni

Frankfurti Kesselerii M. DCC. LX.





PROOEMIUM.

Non solum competens Medico officium est in curando, sed & in renunciando, πᾶν σφόδρα προσέχον, τὴν διάνοιαν κατὰ εὐθρασίαν ψυχῆς διαλογίζεσθαι, multum.

omnino animum advertendo de hominis vita disquirere. Non incongrue enim id huc mutuari licet ex apophthegmate Berenices ad Ptolomæum coningem alea ludentem, te Berenices τὴς ἀγίας Ἰωάννης, quinam mortis supplicium commeruissent, apud *Ælianum l. 14. Var. histor. cap. 43.*

Agitur & in foro medico de sanguine humano, adeo quidem, ut iudicium forense criminale secundum effatum medici decernat, moriendum esse reo, nec posse euadere.

Tanto magis itaque cauto opus est, quanto grauior ipsa res. ἢ ὅμοιον εἶναι, inquitur Regina, τὴν πῶν τὴν τὰν καὶ τὴν καὶ τὴν τὰν σφύρατον. Non enim similem esse casum. reserarum, & corporum.

Operæ hinc pretium visum fuit, loco DISSERTATIONIS INAUGURALIS dispicere de FVNDAMENTIS LETHALITATIS VVLNERVM, quod ut feliciter cedat, Diuinum faxit Numen!



§. I.

Necessarium est quam maxime lustrare & nosse fundamenta renunciationis huius, etiam in genere, siquidem & hic scire est rem per causas cognoscere, quod vulgatissimum est assertum. Ratum & firmum enim id sit oportet, quod tam caro luitur. Neque σοχασμὸς hic sufficit vllus, sed scientifica demonstratio. Corpus aperiendum est. Manus nostrae oculatae sunt, credunt quod vident. Nec sufficit, mortuum esse vulneratum, vulgi haec est philosophia, non medicorum & sapientum, quorum est ultra vulgus sapere. Decernendum itaque plena fide, quantum fieri potest. Vnde hodie receptum est, solenni quasi magistratus sententia, de iure & consuetudine, examen vulneris committere medico & chirurgo, quorum est nosse haec intimius. Idque coram ipso iudice, solenni quasi ceremonia, vel adstantibus, quorum interest videre, & testari. Quamvis enim authenticum iudicium relinquatur omnino medico, seorsim tamen effati huius & circumstantiarum ratio consignari solet in acta publica.

§. II.

Vtut vero perinde sit, vtrum, dirigente medico, professionem instituat chirurgus, an hoc ministrante medicus; praestat tamen non otiosum esse medicum, vel saltem non ignarum, & id auctoritati suae indecens putantem. Causae sociae sunt, sed dispari & inaequali paulo sorte. Et dantur quidem chirurgi gnari artis huius, sed rari fere. Eligendi itaque sunt periti secandi, & periti iudicandi, qui inquirant in vulnera, non faciant. Subscribendum est vtrisque, nec pluribus fere opus est committere, quam duobus hisce, negotium; ita tamen, vt nec alii excludantur seu spectatores, seu diribitores, modo omnia fiant & hoc loco iuxta *Q&iv*, citra confusionem.

§. III.

Hinc & praevia id sit merito requisitione magistratus, quam munitus medicus legaliter & suo loco procedit, idque renunciationi suae inserit, & praemittit. Imo & iuramentum aliquando

LETHALITATIS VULNERVM.

do exigitur, quo tamen non opus est, si ipse id praestiterit iam conuenienti loco, & bonus vir sit, in quem non cadit suspicio. Idem & de chirurgo valet. Et sane medicus non solum obit profectoris & testis officium, omni exceptione, saltim quoad ipsum vulnus, eiusque rationem, maioris, sed & iudicis in suo genere, cuius hinc sententiam suam facit iudex ordinarius. Reliqui testes confirmant acta, & visa, vt ex fingulis resultet genuinum effatum, & renunciatio.

§. IV.

Cum vero in casibus hisce, vti variisunt & multiplices, quin mirandi admodum, non vna saepenumero medicorum sit opinio, sed hi affirmant vulnus lethale, illi negent, ipsis quoque integris collegiis interdum diuersum sentientibus, non incongruum fuerit, in tanta farragine scriptorum seligere laudata fundamenta lethalitatis. Hac enim veluti cynosuram quandam largiri queunt, secundum quam, saltim in genere, rationes dubitandi, & decidendi, (quae non raro & merito quidem exiguntur, vel cordi quoque debent esse per se, ne temere quid itatuatur,) veniant eruenda, vel applicanda. Neque enim nisi vna est veritas, & rationes in alterutram thesin, pro & contra vocant, probe libratas intellectus arripit, examinat, probatisque consentit, vel in contrario statu abnuuit.

§. V.

Ast ne in primo limine quid negligamus, *τρώμα, vulnus*, hoc loco nobis notat, vt Hippocrati, & medicis in communi, affectiones omnes, quae extrinsecus cum quadam violentia corpori accidunt; seu haec fuerit casus, seu vulnus, seu plaga, seu distorsio, sive quid simile, vti accurate, vt solet, differit de eodem *Martianus comm. in Hipp. S. 5. l. 6. epidem. p. m. 278.* Quorsum spectant omnia, quae furor arma ministrat, cuiuscunque generis, quae ipsa & sectionem instituenti medico considerare fas est, & ipsis etiam aliis collegiis simul mitari aliquando consueuere. Faciunt haec ad modulum violentiae, ad gradum v. g. contusionis, dissectionis, punctiois, diuersionis, siue lationis vno verbo ipsius pensandum, ne dicamus



dicamus de inclinatione corporis, positura vulnerati hac vel illa, & similibus.

§. VI.

Nec ipsa lethalitatis notio indicta relinquenda. Non enim vno modo *ἰατρικόν* accipitur, *lethale*, *mortem inferens*, quod vt plenius clareat, non vna distinctio in Scholis medicis enata est. Sic, ex mente *Martiani*, aliud est lethale in genere, aliud vt fic; seu, quæ verba sunt ipsius, aliud est dicere morbum aliquem in suo genere lethalem esse, aliud dicere hunc morbum lethalem, quia signa lethalia superuenere. Nam in hoc secundo casu, quia symptomata superuenientia lethalia statum indicant ægrotantis, non ratione morbi essentia tantummodo, sed etiam vehementia, & moris eiusdem, nec non virium ipsiusmet ægrotantis ad morbum ipsum, ideo cum res eo deuenit, vt signa lethalia superueniant, vix fieri potest, tot malis simul concurrentibus, vt æger euadat; vid. 5. *aphorismorum*. 30. p. 364.

§. VII.

Receptior est distinctio, hoc nostro casu in primis, inter lethale *per se*, & *per accidens*. Per prius illud intelligendo, non tam cum morbus ex sua natura lethalis est in communi, seu latius, quo sensu apud *Hippocratem* sæpius accipitur, per dicta; sed strictius, quæ posterior erat significatio laudata, relatione & intuitu ad seruandi vel euadendi impossibilitatem. Hinc aliis terminis effertur quoque, vt dicatur vulnus lethale absolute, *ἐξ ἀνάγκης*, *darau der Verwundete nothwendig sterben müssen*. Per accidens vero, quod curari potuisset, nisi hoc vel illud interuenisset, idque non essentielle vel postessentiale vulnere, sed accidentario, vel committendo, vel omitterendo. Quod si ergo vulnus a medico non pro lethali habitum sit, casu & culpa ægri interisse existimatur, quæ verba sunt *Cardani Comm. in Hipp. prognost. 38. p. 584*. Et hoc est maxime ac vnice illud *ἰατρικόν*, eamque ob rem omnis questio ac sectio instituitur, sine quo frustranea est opera omnis ac luditur. Hinc licet consueuerint nonnulli suspendere iudicium

LETHALITATIS VVNERVM.

dicium suum in relatione sectionis publicæ, remittentes id superiori alicui Collegio; consultius tamen est a præfenti & doctorum medico id apponi. si quod enim dubium habet, saluo rectius sentientium arbitrio committi potest nihilominus.

§. II.

Prius vero, quam in his pergamus, addi meretur distinctio alia, ad latitudinem seu ambitum lethalitatis illius explicandum ac illustrandum magis. Suggestit eandem laudatus *l. c. Cardanus*, qui mortale hoc vulnus quatuor habere significata ait, non uniusmodi esse recte innuens. *Lethale hinc primi modi* dicitur, quando dictum factum vulneratus in-terit, ac perinde est, ac si omnino mortuus esset, ut cum cor est vulneratum, aut cum cerebro vulnerato homo iacet, ut mortuus diu. *Lethale secundi modi*, quando euadere non potest, etsi aliquot diebus superuiuat: velut cum cerebrum punctim manifeste vulneratum est, vel membrum aliquid vitæ necessarium, & diu iacet, ut mortuus. *Lethale tertii modi*, quod natura sua mortem affert, qualia describit decantato *apborismo 18. sect. 6. Hippocrates*. *Lethale quarti modi*, quod est illorum, ex quibus plurimi moriuntur, non tamen omnes, dubii, ancipites.

§. IX.

Est ut in hisce desiderari videatur posse *ἀνεπίβεια*, certa tamen est assertio, non omnia vulnera lethalia eiusdem esse generis, sed quædam magis, quædam minus talia. Sunt enim ex acutorum morborum classe extra omne dubium, seu, ut iterum loquamur cum *Cardano*, omnia vulnera & contusiones graues ad morbos acutos pertinent; quia ab initio symptomata inducunt periculosa, & breui terminantur. Illi ergo ad quatuor hæc genera merito rediguntur, eaque notione concipiuntur dirempti quarum optime, tum ratione symptomatum grauiorum, tum ratione terminationis, seu temporum, quæ decurrunt, ut alii sint primi generis, v.g. qui statim quasi extremos habent labores, & intra triduum suum agnoscunt terminum acutiei; alii secundi generis, qui & ipsa sympto-



DE FVNDAMENTIS

4
 Symptomata habent grauiora, & septimo die finiuntur, si non morte, saltim quoad periculi grauitatem; alii tertii generis, qui producunt symptomatum suum decursum & finem ad diem decimum quartum; alii denique quarti generis, qui longius adhuc exporriguntur, seu ad vigesimum primum, seu ipsum terminum acutorum vltimum, quadragesimum diem. Eadem reuera & hic locum habent in vulnere hoc genere, & reatu, sua tamen, quod & in reliquis valet, latitudine, definiendis & habendis pro talibus, si non a priori, saltim a posteriori.

§. X.

Tacemus, vulnera esse morbum maxime omnium compositum, & tam conformationem ipsam partium, quam temperiem prompte subruere. Illud vero addendum videtur maxime haecenus dictis: quaecunque de vulneribus praedicantur, prout nostrae sunt considerationis, illa sunt vnice petenda ex Semiotica in genere, & nominatim ipsa **PROGNOSIS**. Enimvero renunciatio de lethaltate vulnerum omnis est vel de futura, vel facta, quae aliter cadere, rebus sic stantibus, non potuit. Prognostica ergo sunt, vel eadem cum illis, tanquam exemplum egregium omnis illius doctrinae, & nominatim quoad **EVENTVM**, seu **SALVTIS & MORTIS**. Adeoque breuiter vulnus lethale per se est, quod terminatur ad mortem ex ipsis fontibus signorum demonstratiuis & prognosticis, quae aliis morbis quadrant, modo euenus simul assignato, vel per suffocationem, vel resolutionem.

§. XI.

Quod si itaque haec velimus paulo distinctius ad animam reuocare, illud indubium, ratum atque certum ponere liceat de his vulneribus: Quocunque facto machina corporis humani subsistere nequit, vel in praesens, modo momentaneo, vel aliquanto post, illud perniciosum, mortale, vel, vt receptum est hodie loqui magis, lethale est per se. Illud enim assertum vt vniuersale est de omnibus morbis, nec subruta machina, vel quoad ipsam materiam quamcunque spectata,

LETHALITATIS. VULNERVM.

Etata, vel quoad hanc artificiosissimam, hoc *avspicatum* vitale, subsistere potest; ita longe magis de vulneribus, presentissima noxa, quotiescunque id oculis vsurpare, id manu palpate quasi licet. Ipsi morbi intemperiei, morbi conformationis huc resultant omnes, nec alio reatu, vel notione inferunt mortem, nisi quod subtilius paulo, nec sensu obuiis phenomenon, sed mente magis concipiendis id prastant; hic vero grossius paulo, modo arbiter lationis huius medicus id probe cognouerit. Vti enim semper in iudiciis etiam medicis cognitio cause requiritur, nec sine ea quicquam determinari potest, vel debet; ita omnis inquisitio per sectionem, & decifum per renunciationem huc tendere debet, an vulnere hoc vel illo actu inflicto machina subsistere reuera queat, nec ne?

§. XII.

Subsumptio facilis est in omnibus atque singulis vulneribus, in iudicium hoc venientibus, modo examen instituat genuinum, nec quicquam omittatur. Locanda sunt vtrinque quasi vota, & pondera causarum, gradus lationis, modus vulneris, vt in omni prognosi, vt exhauriri velut centrum quoddam queat. Quamobrem peritia anatomica & physiologica necessaria est, vt nouerimus, quantum vnaquaque pars non tam valeat, sed que fit, quibus constet particulis, quem vsu habeat, quas administras, quid prastet; subritis enim his actionibus organicis, quibus prastet, emicat facile, quanta ex parte in totum redundet noxa, quousque se exporrigat. Neque tam mole hinc, quam virtute estimanda sunt vulnera. Non omne vulnus magnum aequale vel periculosum, vel lethale est: vt contra ea leuius visum, nulliusque momenti, lethum inferre sapenunero aptum natum est; quod facile patet, si distinctim partes ruminemus, & nouerimus, quantum nerui punctura, respectu musculi vulnerati, vel partis cutacee, carnee, quantum vulnus a vulnere differat.

B

§. XIII.



5011

DE FVNDAMENTIS

§. XIII.

Sed videamus iam partes ipsas ordine, spirituofas, fluidas, & solidas, continentes, contentas, & impetum facientes. Sane diuisis spiritibus, & dissipatis, influxu denegato, motu secundo ablato, eoque in totum, circa radicem, basin, non extimam aliquam partem, necessum est hominem intermori. Id vero fit a vulnere, violento motu & modo hoc cum effectu inflicto. Spiritus sunt portitores animæ, per quos eadem mouet corpus. Quodocunque ergo irradiatio hæc spirituum animalium, transfusio vitalis ætheris, & vis illa intima perfundatur, quid ipsi est de vita, de curandi possibilitate? Spelætant huc omnia vulnera, quæ apoplecticum quid ab extrâ inferunt, speciatim contusiones & vulnera capitis, vel cerebri, vnde sensus, & motus serius ocyus intermoriitur. Turbantur non raro, imo in quouis vulnere tali lethali patiuntur suos manes & spiritus. At in vulneribus capitis & cerebri, cum primis ex hoc momento exurgit & capiendum est lethali-tatis fundamentum.

§. XIV.

Idem & longe magis quasi dixeris de effusione fluidorum vitalium. Quotiescunque motus hic sanguinis seu circulus sufflaminatur, seu effuso fluido vitali, nec circulari valente, cessante motu primo, καὶ ἐξοχῆν dicto, absolute lethale est vulnus, nec vlla arte medicabile. Enimvero repetendum est, id intelligendum de effusione violenta, ἀδέγμω καὶ βίαιω, confertim & cum impetu, facta; effusione ex arteria vel vena aliqua notabili; effusione nulla arte, vel manus, vel medicamentorum ope, a medico vel chirurgo vitanda, curandaque. Et hæc quidem quo profundior fuerit læsio, quo magis inaccessa, quo magis in ramo aliquo maiori, arteria item præ vena, quo diffusior, eo periculosior, & præsentanea magis cum morte. Vtut enim & effusio ex ipsis poris, læsis continentibus, ceu parietibus intergerinis per ipsa vulnera quæcunque, maxime vero grauiora, ex læsis item ramis quibuscunque, non sit citra discrimen; obseruata tamen fuerit



LETHALITATIS VULNERVM.

fuere effusiones tales in quacunq[ue] cavitatē curatā, non excessiua puta, nec vltra sphaeram naturā existente profusione.

§. XV.

Sic in vulneribus capitis cum contusione, inter alias noxas indubie sapissime, & quasi ordinarie fit extravasatio sanguinis, quæ si ad dictos modos se habeat, maior nimirum, centralis, & obstruens penitus, moriendum est. Sin minor fuerit, si particularis, si magis superficialis, si imprimis adhibita discutientia debita, tantum abest, vt lethum inferat, vt potius curari possit, & soleat toto die; quamvis relinquunt post se incommoda non raro, etiam longo tempore post, vel in tota œconomia, vel speciali aliquo loco capitis, se exerentia. Sic forte fortuna iuuenis ab ictu lapidis statim delirans, vno alteroque anno post epilepsia essentiali, & tantum non incurabili, correptus visus. Sic alius grauius in capite vulneratus, vel decem annis post paralyfin vniuersalem incurrebat, omnium partium infra caput positarum, eamque lethalem. Sic infans a præcipiti casu de scala vulneratus, aperto cranio insigni hiatus, & depressa parte vna sub alteram ingressa, multo ichoris effluxu, curatus, post anni decursum nondum finitum epilepsia occubuit. Alius in occipite reportauerat dolorificam plagam, summa cum molestia, eaque diu durante & rebellis. Et quis enumerare vellet omnia illa symptomatum genera, obliuionem, stuporem, ebrietatem facilem, fatuitatem & centena alia? Vt plurimum enim reportatur & eo casu memoria quædam localis perpeffi olim mali.

§. XVI.

Idem & in medio ventre obtingit, sicubi compunctis & apertis vasis, venæ sectio vel arteriotomia mortifera fuerit peracta, vltra modum illa, vnde suffocatio præsto est, & syncope de medio tollens, nullo humano auxilio medicabilis. Extra has vero oleas empyema resultat facile, eximens quidem aliquando e lethality censu vulneratum, dubio tamen sepe euentu. Imo & in infimo idem valet, seu ex viscerum



2811
DE FVNDAMENTIS
ipsorum læsione, seu dilaceratione saltem communi, in cau-
tatem abdominis effusione larga facta, de cuius lethaltate,
iuxta modulum læsionis & decempedam sic genuinam renun-
ciandum est, vtrum seruari nequiverit, an vlla speranda sa-
lus, quod ex aliis capitibus dilucidandum atque huc repe-
tendum est.

§. XVII.

In singulis hisce casibus ipsa quoque insimul indicata
& administrata depletio lethaltatem variat, id quod omnino
maxime & attendendum est cura præsidentis medico, & re-
nunciacionem facturo alteri cuiusque. Idque tanto magis,
cum sæpe ex hoc capite impugnetur lethaltas, non admini-
stratam fuisse trepanationem, vel consulto, an negligentia,
potius dixerò; vel ex defectu instrumentorum, & chirurgi
huius *εγχειρήσεως* gnari. Idem dictum puta de sectione seu
απονεύρωσι thoracis, media & ancipiti quoque itidem, deter-
minanda lethaltate pro sectionis & phænomenorum circum-
stantiis. Quin & in infimo ventre eadem luditur fabula.
In singulis casibus illis satius est apertum esse vulnus & pa-
tulum, quam conclusum, seu natura sua, vulnere non pe-
netrante, seu casu, pugione gladioque magis acuto, & tere-
ti, quam lato, concidentibus magis labiis integumentum par-
tium, seu intermisso denique aditu, per manum medicam.
Quandocunque itaque depletio & excretio profusi & gru-
mescentis sanguinis fieri potest, aurigante natura, lethum po-
test euitari, & contra.

§. XIX.

Idem ergo & de solidis partibus dicendum est, quæ non
vno modo absolutam lethaltatem important. Destructo e-
nim viscere aliquo principali organico, vt corde, cerebro,
destrui oportet vitalem machinam. Hæc enim & spirituum
& fluidorum, motus primi & secundi, sunt quædam organa
necessaria, habitacula, dispensatoria. In his illa coniunctim
sunt visenda, & eminent, vnde tanto maior est hinc leth-
altas, quo maior *ἀξία* visceris, quod machinæ velut basis est
&

1184.

LETHALITATIS VULNERVM.

13

& directorium. Vt in republica subacta, diruta, & destructa metropoli, regia, eandem subiugari videas & corruiere vniuersam; vt regimine ipso sanctiori sublato, eadem consistere nequit, sed mole ruit sua; ita idem aliter fieri non potest in æconomia microcosmica. Quin & in mechanicis, v. g. horologio, ita se res habet, elatere mouente & impellente disrupto, omnis cessat motus, etiam integris reliquis omnibus rotulis; non aliter hic proceditur.

§. XIX.

Notanter vero diximus, vulnera absolute lethalia esse, quæ destruant hæc vitæ sacraria, quod ipsam sedem animæ sic diruant. Liceat in exempli vicem renunciationem talem vulneris CORDIS lethalis, a D. Præside factam, hic recensere & inserere: Nachdem wir Endesbenannte von dem N. N. zu Beschichtigung N. von N. durch einen Messer-Stich entseelten Edrpers gebührend erfordert worden; als ist solches heute dato zu N. gesehen / und hat man befunden / daß solcher Stich auf der linken Seite der Brust / zwischen der dritten und vierden Rippen / oben circa basin cordis, in dextrum ventriculum, eines kleinen Fingers breit / durch das septum intermedium, bis in sinistrum ventriculum gegangen / dannhero das Geblüt mit Gewalt heraus gequollen / und nicht allein in pericardio, umb das Herze umb und umb / sondern auch in cauitate thoracis sinistra, in grosser Menge anzutreffen gewesen / welches vulnus billich vor tödlich zu halten. Actum MDC LXXVII. d. VII. Nov.

§. XX.

Quando hinc vulnerato corde vel non corruisse interempti leguntur, vel aliquot passus confecisse, imo plane non morui fuere visi, in illis vel vulneris ratio distulit mortem, vel grumus sanguinis obicem posuit, ne tam cito effunderetur omnis. Et iamdem diximus, esse horum insignem latitudinem, vnde magis & minus etiam hoc loco non variant speciem. Ita enim & scintilla vitalis, vel organum potius totum, circumpellendo sanguini dicatum, diruitur, spiritus profunduntur, systole & diastole subsistit, de vita actum est



Et vicissim, quando vel casu, vel diuina prouidentia potius, non ita comparatum est vulnus, etiam cordis, vt destruat viscus tam nobile, musculum pensilem, & perpetuum mobile, seruari eatenus & produci potest vita, quæ in motu hoc consistit. Ita vero intelligenda exempla antiqua & recentia relata, vt apud *Cabrolium obs. 26. p. 16.* qui in suspenso offendisse se refert in basi cordis, ad coronariam, cicatricem, duos latos digitos longam, testonemque, vt vocant Itali, crassitie æquantem. Quid enim hoc aliud notauerit, quam vulnus confedissee solum in parte exteriori musculosa, citra interturbatos circuli thalamos?

§. XXI.

Idem vero & de CEREBRO valet, & subsumentum est. Nec huius enim læsio, destructoria organi sensus & motus secundi tam nobilis, citra presentaneam, vel dilatam paulo, lethalityatem consistere potest. Nulla sane vulnera vel frequentius ad renunciandum occurrunt, vel grauioris difficultatis sunt, quam cerebri, seu capitis in genere, quæ exemplum præbent toto die præcipuum variantis periculi, & iudicii. Hinc dudum *Hippocrates*, alique post ipsum, monere, capitis vulnera omnia periculosa esse, nisi sint exigua, & a re leui, nec vllum hinc negligendum. Non dicimus omnia esse lethalia, nec ea per se talia, attamen certum est omnia esse, & renunciari debere funesta, quæ laudati sunt commatis,

§. XXII.

Illud vero periculum multiplex, ex quo mors pro re nata inferri ex vulneribus cerebri solet, & argumentum lethalityatis sumi debet non vnum, optime *Cardanus* percenset, &c. In genere quidem huc facit, quod fiant cum contusione, adeoque maiori cum violentia; speciatim vero quod periculum sit (1) ne os rimam contrahat maxime occultam e regione vulneris; (2) ne ex aduersa parte findatur; (3) ne vincula quibus membrana dura pericranio committitur, confringantur, & demum putrescant; (4) ne dura mater concidat, & sepa-

separetur a cranio; (5) ne schidia intus separetur ab osse, & vulneret ferius ocyus duram membranam, nedum ipsum cerebrum; (6) ne distrumpatur venula; (7) ne cerebrum conquassetur, iuxta 7. aph. 58. Hæc saltem omnia & singula attendenda & inuestiganda fuerint, & iuxta horum modulum renunciandum.

§. XXIII.

Quod de cerebro diximus, debetur & SPINÆ DORSALIS iudicium, inprimis circa eiusdem originem inflicto vulnere, hinc & in progressu reliquo. Vtrumque licet paulo rarius obveniat, non ideo tamen negligendum est. Elegans hanc in rem locus est & experimentum, etiamnum hodie in vsu aliquando ad necandos boues, *Senca l. de provident.* Corpora, *ait*, optima taurorum exiguo concidunt vulnere, & magnarum virum animalia humane manus ictus impellit. Tenui ferro commissura ceruicis abrumpitur, & cum articulus ille, qui caput collumque committit, incisus est, tanta illa moles corrui. Notabilis hanc in rem est obseruatio & renunciatio D. Praef. M DC LXIX. mense Iulio facta, rustico per chartam sclopeto intrusam loco globuli plumbei momentanea morte interempto: Nachdem auf vorgehende ordentliche requisition der N. Gerichte / wir Endesbenannte heute dato N. der von einem Musqueten-Schuß gestern Abend entselet / besichtigt / haben wir befunden / daß der Schuß auf der rechten Seiten des Halses / e confinio quartæ vertebrae, fast in der Mitten / mit ziemlicher Weite / in zwey Finger breit / unter dem rechten Kimbacken hinauf dem Genicke zu gegangen. Da dann die beyliegenden muscoli zerschmettert / und wegen Nähe des Schusses gesenget / die vena iugularis externa und arteria carotis mitten entzwey / der oesophagus (wie alle andere partes laeæ,) gesenget und gedffnet / die aspera arteria nur ein wenig mit berührt gewesen / und ist biß auf die erste vertebra ceruicis hinauf gedrungen / allwo das eingeladene Papter wegen habender Gröbße die andere vertebra mit berührt. Das cerebrum und cerebellum sind ziemlich

sich gut befunden/ auffer wenigen lituris. Und hat an solcher Ver-
letzung der Verwundete nothwendig sterben müssen. Actam &c.

§. XXIV.

Referrī huc & PVLMO potest ipse, viscus aereum & cordi
symbolicum, vitæque necessarium. Enimvero & huius vul-
nera, quæ actionem organicam destruunt, seu ex communi
fonte, profusi copiosius sanguinis, seu ex proprio, quando ex
motu continuo loco aeris regurgitat sanguis, & bronchiis pe-
nitius læsis illapsus inducit suffocationem, sunt lethalia. Se-
cus fuerit, si lobus extimus, si minora vascula vulnerata
fuerint, si minori pertusione; ita enim minus lethifera sunt
hæc vulnera, prompta sursum euacuatione, resolutione &
consolidatione hinc facta. Idem dictum puta de DIAPHRA-
GMATE, eiusque circulo nerueo, diruto reciprocandi actū,
&, quoties continuatur, vulnere quasi magis dilatato.

§. XXV.

Quod si ad infimum ventrem progrediamur, omnino
& ibidem pronuntiandum fuerit: Destrueto viscere aliquo
continente, & organico, etiam minus principali, ventriculo,
intestinis, hepate, liene, renibus, vesica ipsa, & vtero, mor-
tem inferri necessum est. Omnia quippe & singula vsam
habent ad vitalem œconomiam necessarium, quo dempto, &
noxis præsentaneis alijs illatis, quid aliud, quam lethum,
consequi potest? Accedit violentia omnibus communis, &
hactenus dicta spirituum & fluidorum profusio, neruorum
irritatio, vnde breui acceleratur fatum. Exempla passim oc-
currunt, nec, vt congerantur hoc loco, necessarium est.

§. XXVI.

Vtut vero circa hæc quoque occurrant dubia, nec illa
tamen regulam generalem infringere possunt. Verum est,
vulneratum ventriculum in cultriuoris, vt Prussico, (quo de re-
latio medicorum, qui præsentis fuere, extat, vt mirum sit non-
nullos dubitasse de eius veritate,) Pragenfi, a Crollio memorato,
&, nostra memoria, Hallensi, non mortuis & euadentibus sin-
gulis istis; Sed duo cum patiuntur idem, non est idem. Verum
est,

LETHALITATIS VULNERVM. 17

est, excisum in canibus lienem, vesiculam felleam. Verum est, euasisse alios in his partibus vulneratos, ipsumque vterum in sectione Cæsarea & aliis casibus dissectum; imo de omnibus fere exempla notata inuenias, quam in rem præ aliis diligentia laudem meretur *Bauschius Tr. de heparite*, apud quem legi possunt abunde. Diuersa ratio, diuersum iudicium exigit.

§. XXVII.

Sape monstra sunt in medicina, seu miranda & incredibilia, minimum extraordinaria, quæ non faciunt regulam, seorsim puta, vel non infringunt potius. Solet hinc id pro defensione afferri sepius, euasisse v. g. quibus cerebrum mirum quantum fuerit vulneratum, cuius rei liceat saltim tria exempla addere. Obsernatum fuit non semel, integra quasi frustra, etiam nostra memoria, cerebri vulnerati exempta, ægro euadente tamen. Vidit *Galenus ipse l. 8. de Vsu Part. c. 10.* admirabile, vt illud spectaculum atque incredibile, quod Smyrnæ in Ionia accidit, adolescentem vulnere in ALTERVM ANTERIORVM VENTRICVLTORVM accepto, superflitem fuisse, Dei, vt videbatur, voluntate. Ipse Ethnicus *ἰδὲ θεῶν* agnoscit, multo magis id decet Christianum. Mirabilissimum est, quod refert *Martianus Comm. in l. 7. epid. s. 1. p. 292* ex ore D. Iubentii de Angelis, viri & fide & sinceritate integerrimi, de milite, cui cum a plumbeo globo, per sclopetum traiecto, CEREBRVM TRANSFOSSVM esset, crus vulnere oppositum resolutum est; nec, a vulnere miraculo sanatus, motum cruris recuperauit, vnde in postera claudus permanfit.

§. XXIX.

Referenda illa sunt inter rariora & contingentia, ex diuina quidem voluntate, a quibus non licet facere inductionem, vt pote a particulari aliquo ad vniuersale. Vti enim centum veneno potionatus, si vnus euaserit, nemo inducitur, vt credat, innoxium & sibi fore venenum; Vti ex vicino monte Dornburgensi, inter præcipites actos plures equites, vt constans est annalium relatio, vno tubicine saluo euadente, nemo id præcipitium affirmauerit innocuum; ita & hic se

C res



8811

DE FUNDAMENTIS

res habet. Hinc non de nihilo quidem est, sed operæ præ-
tium, & illa annotare, & in fastos medicos referre; ast cum
grano salis potius illa legenda, cum pia reuerentia diuini Num-
minis, quam temeraria illatione.

§. XXIX.

Vt vero melius hæc pateant, & de illis firmiter concludi
queat, modus læsionis grauior infert lethalityatem absolutam,
superficiarius & minor, non item. Concurrent itaque, & con-
iunctim consideranda sunt, pars læsa, & locus ad illam du-
cens, & modus læsionis. Viscera v. g. interna, etiam infimi
ventris, sunt velut columna corporis, in quibus si non vita,
tamen conseruatio simpliciter necessaria consistit, seu vtili-
bus dicata sint apparandis, seu inutilibus colligendis ac eue-
hendis. Vulnere horum maiora, profunda, grauiora, sim-
pliciter & absolute sunt lethalia, inprimis per transuersum
inflicta. Hinc textus classicus Hippocraticus probe atten-
dendus *6. aph. 18.* *Κύριον Μεμοσπέντι, ἢ ἐγκέφαλον, ἢ καρδίαν, ἢ*
Φρένας, ἢ τῶν ἐντέρων τὴ τῶν λεπτῶν, ἢ κοιλίην, ἢ ἦπαρ, θανά-
τῶδες. Cui perfecta fuerit vesica, aut cerebrum, aut cor, aut dia-
phragma, aut tenue quoddam intestinum, aut ventriculus, aut ie-
cur, lethale. In confessio enim est, *Μεμοσπίν* non quoduis no-
tare vulnus, sed quod alte descendit, & impactum est, præ-
cisionem, præfectionem, intercisionem grauiorem. Sup-
ponitur etiam merito, velut *ὑπὸ τῆ κοιλῆ*, vt id fiat sic, per
dicta, cum destructione omnimoda, & incurabili. Hinc quæ
obseruata sunt vulnera viscerum, tum horum, tum illorum,
non lethalia, hanc regulam tantum abest vt infringant, vt
potius alterius fuerint census, leniora respectiue, & reparabi-
li magis cum damno.

§. XXX.

Ex his quoque vel tacentibus nobis efficitur, quo plura
viscera sunt læsa, quo grauiora momenta vulneris, & destru-
ctionis, eo magis lethalia esse eadem. Tale enim additum
tali



1107.

LETHALITATIS VULNERVM.

tali, etiam hoc loco, reddit illud magis tale, vbi vnum sufficisset inferenda morti. Liceat exemplum tale aliud renunciationis hic laudare, a D. *Prasida* itidem facta. Als auff beschene requisition wir Endesbenannte heute dato N. zu N. durch einen Schuß entseelten Körper besichtiget / haben wir befunden / daß gedachter Schuß ungefehr vier Quer Finger unter der rechten Warze / etwas gegen der Brust zu / zwischen der sechsten und siebenden Rippe hinein / und neben und unter dem diaphragmate mitten durch die Leber durch und durch / ferner per circulum nerueum diaphragmatis, unten per dextrum pulmonis lobum, bis auf die zehende Rippe gegangen / welche ganz zerschmettert / und die Kugel daselbst unter der Haut im Rücken stehend gefunden worden. Auch hat sich im untern Leibe sehr viel Blut / in medio ventre aber / oder der Brust / ebenfalls dessen gelieferte Stücken / wiewohl weniger / gefunden. Welches alles / nach geschener genauer Untersuchung / sich also verhalten zu haben / und daß der Verwundete an solcher Wunde sterben müssen / wir mit eigenhändiger Untersreibung bekräftigen sollen.
&c.

§. XXXI.

Adeoque in omnibus hisce tragicis casibus, & apertio, & disquisitio vulneris vnice fit, ac instituitur, vt punctum lethaltatis vnum, duo, vel plura fistantur ante oculos, si quidem vulnus lethale per se fuerit, seu in vtramque sententiam. Idque laudatis hactenus, & dicendis aliis fundamentis absolvitur. Neque desistendum est prius, quam hoc inueniamus, vel saltim punctum lationis omne, quantum nosse, & videre datur. Imo & in viuentibus adhuc vulneratis, etiam hoc scilicet, quod Hippocritus est præceptum, oportet ἐρωτησάντων τοῖς ἐσθ' ἡντιον, de omnibus interrogare. Ita enim positus, & probe examinatis omnibus circumstantiis, non difficile est, in arte peritis, ex fundamentis anatomicis, mechanicis, & medicis, fidem firmumque capessere decusum.

C 1

§. XXXII.



§. XXXII.

Sed vt progrediamur vterius, posita curandi & deligandi impossibilitate, denegato accessu applicandi remedia, sistendi sanguinem, aliaque praestandi, lethalitas importatur. Habet id locum in profundis quibusuis vulneribus, non tantum vasorum maiorum, sed & intestinorum viscerumque, vbi quidem, dum vita est, sperari salus potest, propinari remedia, administrari omnia non item, vt in externis obuiis sensus suggerunt, quae, qualis, & quanta sit laesio, manus admoteri, fieri omnia ex artis legibus possunt. Idem & de neruis profundius & grauius vulneratis dicendum est, quos saepe praecindendi praestat, quam vulnerari alias. Quis intrus, fissa lamina cranii in partes, inhaerentem velut spiculum ossis particulam non meningibus saltem, sed pertuso ad vnciam semis cerebro eximere queat, nulla apertura facta? Quod vulnus tamen legas non absolute lethale pronunciatum. Vid. *Ammann, med. crit. p. 246.* Quis integro hypochondrio, seu partibus extimis, praesumat diuerberatum lienem curare, quod obseruatum est & renunciatum merito lethale? Quis hepar contusum & fissum per molendini rotam, nullo hiatu illuc perpendente? Obseruatum quidem fuit, factum vulnus intestini alicuius, accumbentis circa extrema integumenta, vel plane consolidatum aliquando, vel in fistulam degenerasse, sed grauiori casu moriendum est omnino. Idem de aliis vulneribus non raro valet, similibus enim eadem est ratio, maxime vero infimi ventris ipsorumque renum, & vesicae, cui similis fortuna fauere potest, extrinsecus coalitionem iuuantem parte vicina membranosa, vel musculoſa, vnde & disrupta legitur curata.

§. XXXIII.

Cumque ars medica, diuina illa atque omnibus a qua, subministrat etiam soluta unitati, & nominatum vulneribus omnium generis, sua praesidia, omniaque conferat, quae ad seruandam

LETHALITATIS VULNERVM.

vandam, tutandamque vitam villo modo faciunt, pro huius quoque administracione lethalitatis emicat fundamentum. Enimvero vt in aliis morbis omnibus, ita inprimis in vulneribus hisce, violenter & diuersimode illatis, medicamentis omnibus lege artis, sed frustra, adhibitis, lethale est vulnus, lethalis est morbus quicumque alius. Quando ergo mature succurritur, iuxta indicationes debitas, prospiciendo ex fontibus, chirurgico, pharmaceutico, dietetico, iuxta methodum medendi genuinam; non omissis generosis etiam & heroicis remedijs, sed citra optatum successum, spes vitæ decollat, neque ultra sphaeram artis, quicquam villo iure postulari potest a medico vel chirurgo.

§. XXXIV.

Inprimis vero id verum est, si nullus error externus fuerit progressus, non neglectum vulnus ab artis ministris, sed provida opera deligatum, defensum, curatumque. Si nihil commissum, quod suggeri egeni archeo debebat, nihil commissum, vel intus & extus applicitum, quod non suam habeat rationem. Si ipse aeger dicto fuerit audiens, non admiserit aerem frigidum, non egressus in publicum, in rebus item sex nonnaturalibus alijs, in cibo & potu, motu, animi pathematibus, vigilijs, excretis & retentis; sed ad alienum imperium vel dictamen se gesserit, vt par est. Idem dictum esto de adstantibus, & externis alijs, elogio 1. apb. 1. Si enim vllibi, sane in vulneribus errores sunt maximi momenti, in accersenda lethalitate, vnde in renunciando ad hos merito attenditur, ceteris tamen paribus. Sunt enim & vulnera *θανάσιμα*, non obstantes errore aliquo, per se talia. Vt contra ea, tanto magis est lethale, si nihil quicquam imputari possit, *ἀξιον λόγου*, quodque fundamentum habeat in re. Calumniatores enim & sciolos vbique reperire licet, maxime vero omnium in talibus casibus, vbi euentus sinister acciderit.



2011

§. XXXV.

Ast vti in reliquo signorum medicorum complexu omnia & singula sunt coniungenda, quæcunque se offerunt; ita & circa vulnerum lethalityatem pronuntiandam id summe necessarium est. Et sufficit quidem sæpenumero vnum essentialia, pluribus communibus, seu bõnis, seu malis, præferendum; attamen quo plura concurrunt idem effectum confirmantia, eo certior de lethalityate absoluta fit illatio. Imo dantur casus, vbi distributiue, vt loqui mos est, illata vulnera, seu separatim spectata & considerata, minus videntur lethalia, collectiue tamen & coniunctim talia omnino euadunt & habenda sunt. Adeoque recensentur ad illud euincendum vel demonstrandum omnia phænomena, vt arbiter iustus & æquus, seu singularis hæc illa persona, seu integrum Collegium, quod satius est, rem decidere queat. Magna hinc habenda ratio medici præsentis, modo prudens sit, & fundamenta artis probe calleat. Id tamen non vniuersale est; plus vident oculi, quam oculus.

§. XXXVI.

Quod si accidant casus, vbi vulneratus plagam accipit in loco ab hominibus remoto, vt succurri non possit, nec præsto sit, qui opem ferat, sanguinem sistat, & loco calido inferat, moriatur æger, & ibi quoque desinare oportet medicum de lethalityate, quantum sui est fori. An vero vulnerans de pœna ordinaria teneatur, id nostrum non facimus, sed ICris decidendum relinquimus, Suffecerit nobis, ex hac quoque causa sæpissime inferri lethalityatem, licet ad ea, quæ per accidens sunt, eatenus referri debeat. Quod si lethale sit per se, hoc ipso pacto saltim mors acceleratur. Vnde istis casibus fere maiori inquisitione opus est.

§ XXXVII.



1109.

§. XXXVII.

Et omnibus illis, quæ hætenus enarrauimus, pondus addit demonstratio a posteriori, vulnus obsignatum morte, seu subitanea, seu aliquandiu etiam dilata. Quotiescunque dictum factum æger moritur, præsumptio est de lethaltate, absoluta, confirmanda nihilominus, & ad oculum demonstranda per sectionem. Hæc ipsa enim dubia omnia, quæcunque demum moueri queant, dirimit, quandoquidem sic ad oculum patet mortis tam subitaneæ & improuisæ ratio. Et tanto magis quidem, quod etiam vulnera leuia aliquando, imo & alapa, suis de causis mortem intulerint, quod ordinarie impossibile est. Vid. Heer. obseru. 12. Contra ea vero lethalia etiam vûlnera omnino, aliquot dierum mora dilata, sunt & esse possunt, cumprimis cerebri, neque hæc æquæ eximet e lethaltatis reatu eadem, quando quod differtur, non aufertur lethum.

§. XXXIII.

Denique modus euentus ipsum euentum, h. l. ad mortem, non raro modificat, seu ipsa superuenientia phænomena, quæ euitari non possunt, vulnus lethale absolute reddunt, vt signum, & vt causa considerata, ita tamen vt principaliter semper ipsius læsionis habeatur ratio, & reliquorum. Optime hanc in rem recenseri meretur locus classicus diuini senis, l. 2. prædict. c. 19. Vulnera magis lethalia sunt, scribit, quæ in venas crassas, in collo ac inguinibus insiguntur; deinde quæ in cerebrum & in hepar: postea quæ in intestinum & vesicam: Sunt autem hæc omnia perniciosâ valde (ἰαχυρῶς ὀλέθρια,) non tamen ita, vt nemo ex his euadat, velut putatur. Nam & loci, qui hæc nomina habent, multum inter se differunt, & iidem modi. Multum vero differt corporis ipsius hominis structura: aliquando enim neque febricitat, neque inflammatur sauciatus. Aliquando etiam citra causam febricitat, & aliqua



24
DE FUNDAM. LETHAL. VVLNERVM.
aliqua corporis pars omnino inflammatur. Confer, quæ se-
quuntur plura, & *Coac. p̄not. c. 3. s. 371.*

§. XXXIX.


His penfitatis lethalitatis ratio & fundamentum elucet, ex mente enim *Coi* (1) vulnera eiusmodi sunt lethalia per se; (2) differunt autem gradu, & symptomatibus; vnde (3) verbis *Martiani l. c. 5. aph. comm. 30. p. 365.* ex his apparet, ex vulneribus ex sui natura lethalissimis homines euadere, si neque febris superueniat, neque sanguinis fluxus ad vulnus fiat, neque inflammatio, nec dolor. Contra ea vero nulla spes salutis remanet, vbi lethalia signa superueniunt, non præfatis lethalibus vulneribus modo, sed etiam iis quæ securissima videbantur. In fine enim, quod in proverbio est, videtur, cuius fuerit toni. Quod vero loco posteriori in *Coacis* addit, τα πολλά, ὅτι τὸ πολὺ, *v. plurimum, plerumque*, id partim de speciali phænomeno valet, febris enim plerumque & bilis vomitus cerebro vulnerato accedit; partim ob particularem ipsius hominis structuram & temperiem, Quare, verbis itidem *Martiani* symbolicis, *l. 1. de morb. vers. 67. p. 129.* cum hæc a particulari indiuidualique hominum proprietate eucniant, & admodum raro, vniuersalitatem propositionis tollere non possunt.

§. XL.

Et hæc pro scopo nostro in præsentiarum sufficere queunt, quorum omnium confirmationem exempla, hinc inde apud autores, qui de vulneribus lethalibus scripsere, obuia exhibent. Inter hos vero vnus instar omnium est *Excell. & Celebrissimus D. Bohnius Tr. de renunciatione vulnerum*, qui cum accuratissime hæc disquisuerit, legi omnino meretur præ aliis.

SOLI DEO GLORIA.





ULB Halle

3

004 331 885





56

WOB

WOB 18/21 WOB







B.I.G.

Farbkarte #13

1695, 24 1158.
12

D. D. P. V.
MATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE

DAMENTIS LE-
LITATIS VULNE-
RUM,

iliente Supremo Numine,
e Autoritate Illustris ac Gratio-
TATIS MEDICÆ in Inclyta SALANA,
P R Æ S I D E

GIO WOLFFGANGO
WEDELIO,

ore, Comite Palatino Casareo, Theoretices
e Ordinario, Consiliario & Archiatro Ducali
Saxonico,

*Hospite & Promotore Studiorum omni obser-
uantie cultu deuenerando,*
PRO LICENTIA,

medica honores, & priuilegia Doctoralia rite & MORE
MAIORVM solenniter capeffendi,
philiatorum disquisitioni propofita

ADAMO WOLFFGANGO GAUBER

Rotenburgo-Tuberano,
IN AVDTORIO MAIORI,
Horis ante & post meridiem,
Ad D. Februar. MDCXCV.

I E N E,
scufa Litteris KREBSIANIS. M DCC IX.

